

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. XXVI. TIT. II. De Testamentaria Tutela.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9050

strationis. *L. 12. L. 14. de Test. tut.* Bona autem minus principaliter veniunt, quia sine iis persona salva non est.

EXC. (1) Si tutor absens est, & interim de adeunda hæreditate agitur, hæc additio non potest fieri, nisi novo ad hunc actum constituto tutore. *L. 17. §. 1. de Appell. L. 13. de Tut. dat.*

EXC. (2) Si patrimonialia sint magna, & in diversis locis sita, per *L. obfl. 15. de Test. tut.*

LIB. XXVI. TIT. II.

DE

TESTAMENTARIA
TUTELA.

Qv. I. *An tutor etiam in testamento privilegiato inter liberos dari possit?*

NEGATUR: Nam (1) Lege non est valida dispositio, & sustinetur tale testamentum saltem quoad institutionem filii, non ultra: atque hinc (2) quod in extraneo ibi relinquitur, non valet: Unde (3) in *L. 2. C. 461. verb. de Conf. tut.* dicitur, neque per epistolam, neque in imperfecto testamento tutorem constitui posse, testamentum vero hoc est imperfectum, & sustinetur saltem in favorem institutionis. *Dissentit Laut. pag. 461. verb. in testam. privil.*

Potest tamen & solet talis tutor a Judice confirmari, quia patris voluntas optima censetur. *Dn. Berger. h. t.*

OBJ. *L. 21. §. 1. C. de test. ibi: Voluntate teneri.*

RESP. Agit de hæreditate liberorum, non de tutela. *Dn. Berg. d. l.*

Qv. II. *An exhaeredatis possit tutor dari?*

AFFIRM. Quia tutoris datio est effectus patriæ potestatis, quæ non tollitur per exhaeredationem. *L. 1. §. 10. de Suis & legit. Laut. p. 462. verb.*

OBJ. (1) Nemo potest tutorem dare, nisi suo hæredi, *L. 73. §. 1. de Reg. jur. exhaeredatus non est suus. d. L. 1. §. 10. licet sint exhaeredati.*

RESP. Suitatis duplex est effectus, tum ratione patriæ potestatis, tum ratione successionis: hic effectus tollitur per exhaeredationem, non ille.

OBJ. (2) Quod exhaeredatus habeatur pro mortuo.

RESP. Quoad effectus successionis, non quoad reliquos effectus patriæ potestatis. *Conf. omnino supr. L. 5. tit. 2. q. 18.*

Ee 2

LIB.



DE CONFIRMANDO TUTORE
VEL CURATORE.

Qv. Si tutela, quae non rite in testamento est constituta, a magistratu confirmatur, an sit dativa, an testamentaria?

Lauterb. h. t. putat, esse dativam, quia esse suum a magistratu habet, sed verius est, esse mixtam, ex testamentaria & dativa: & talis tutor quasi testamentarius praefertur legitimo, *L. 3. de Conf. tut.* perdit excusando se legatum, *L. 32. de Exc. tut.* nec cogitur satisfacere, nisi in casu, quo mater vel quilibet alius ei, quem instituit, tutorem dedit. *L. 2. L. 3. h.* Quasi Dativus ante decretum nec gerere potest, *L. 5. h.* nec excusare se tenetur, *L. 1. C. h.* nec obligatur, *L. 2. C. h.* nec si quis ante datus est, is ideo tutor esse desinit. *L. p. C. h.* De quibus videatur *Dn. Par. in Hyp. Inst. de tutel. §. 5. & Phil. Uf. pr. Inst. L. 1. Ecl. 78.*

Equidem hodie omnes tutelae videntur mixtae, quia omnes confirmatione opus habent. *O. P. de anno 1577. tit. 32.* Verum decretum hoc accedit, non ut jure subsistat, sed ut geri possit. *d. Hyp. §. 6.* Jus ergo tutelae ex solo testamento vel lege oritur, sed exercitium & gestio a iudice non tam conceditur, quam permittitur. Neque inde desinunt esse distinctae species & effectus.

DE LEGITIMIS TUTORIBUS.

Qv. I. An Jure ff. & C. tutela matris & aviae sit dativa?

Laut. pag. 463. verb. Jure ff. & Cod. **A**FFIRM. Quia tutela est virile officium, a quo foeminae excluduntur sine datione Principis. *L. f. de tut. L. 2. L. f. C. Quand. mul. tut. off.*

OBJ. *L. 6. C. ad SCt. Tertull.* ubi vocatur legitima.

RESP. Non est legitima, quasi ex lege delata, sed quae secundum leges, adeoque iusta est.

Hodie

